MISSÆ PROPRIÆ PATRONORUM ET FESTORUM REGNI POLONIÆ, ET SUECIÆ.

AD NORMAM
MISSALIS ROMANI
ACCOMMODATÆ.



CUM LICENTIA ORDINARII

WRATISLAVIÆ,
Typis Academici Collegii Societatis JESU. MDCCXLIX.

CALENDARIUM PATRONORUM ET FESTORUM REGNI POLONIÆ ET SUECIÆ.

FESTA DECEMBRIS.

Die iv. S. Barbaræ V. & M. duplex.
Die v. S. Petri Chrysologi Ep. Conf. dupl.

FESTA JANUARII.

Die xix. S. Henrici Episc. & Mart. duplex.
Die xxi. S. Agnetis V. M. duplex.
Die xxiii. Desponsatio B. V. M. dupl. maj. comm. S. Joseph. & S. Emerentianæ.
Die xxiii. S. Joannis Eleemosynarii Ep. Conf. duplex in Diœcesi Plocensi.
Die xxiv. Translatio S. Erici Regis & Martyris dupl.

FESTA FEBRUARII

Die i. S. Brigidæ V. duplex.
Die iv. S. Ansgarii Ep. & Conf. P. R. S. dupl.
Die vi. S. Dorotheæ V. M. duplex
Die vii. S. Romualdi Abb. duplex.
Die ix. S. Apolloniæ V. M. Patronæ R. Pol. duplex.
Die x. Scholasticæ V. dupl.
Die xix. Conradi Placentini. Semiduplex.
Die xxv. S. Sigfridi Episc. & Conf. duplex.

FESTA MARTII.

Die i. S. Albini Conf. Pont. dupl. in Diœcesi Gnesnensi.
Die ii. S. Helenæ Viduæ duplex.
Die iv. S. Casimiri Conf. dupl. comm. S. Lucii Papæ M. In Lituania sinè dicta comm.
Die v. Translatio S. Wenceslai M. duplex.
Die ix. S. Catharinæ Bononiensis, Ord. S. Franc. Min. dupl. in Diœc. Varmiensi.
Die x. SS. Cyrilli & Methodii Conf. Pont. in Diœc. Gnesn. Semidupl. in Præmisl. duplex.
Die xvii. S. Gertrudis V. Semidupl. in Diœces. Gnesnensi & Culmensi
Die xviii. S. Gabrielis Arch-Angeli, dupl.
Die xxiii. S. Catharinæ Vastanensis V. dupl.

FESTA APRILIS.

Die xxiii. S. Adalberti Ep. M. duplex.
Die xxiv. S. Georgii M. Semid. in Lituania duplex. celebratúrque 23. April. Transl. in 24. Festô S. Adalberti.
Dominica 3. post Pascha, Festum Patrocinii S. Joseph. duplex.

FESTA MAJI.

Die ii. S. Sigismundi Regis M. dupl. in Diœces. Ploc.
Die iv. S. Floriani M. duplex.
Die viii. S. Stanislai Ep. M. dupl.
Die xiii. S. Servatii Ep. Conf. duplex. in Diœces. Gnesnens.
Die xvi. S. Joannis Nepomuceni M. dupl.
Die xviii. S. Erici Regis & M. P. R. S. dupl.
Dominica secunda post Pascha SS. Sepulchri D. N. J. C.
Die xxv. S. Joannis de Predo. M.

FESTA JUNII.

Die iii. S. Erasmi M. dupl. in Diœces. Plocensi, & alibi ad libitum.
Die xiii. S. Antonii de Padua Conf. duplex.
Die xvi. S. Bennonis Ep. Conf. duplex.
Die xix. S. Bonifacii Ep. M. Semiduplex.
Die xxi. S. Aloysii Gonzaga, Conf. duplex.

Die

Die xxii. S. Æschili Episcopi & Martyris duplex.

Die xxvii. S. Ladislai Regis Hung. Conf. duplex. In Diœc. Vilnensi, Samogitiensi, & Livoniæ.

Dominica prima post Octavam SS. Petri & Pauli Festum SS. Patronorum Regni Sueciæ.

FESTA JULII.

Die vii. S. Pulcheriæ V. duplex.

Die ix. SS. Martyrum Gorcomiensium, dupl. In Diœc. Posnaniensi, Plocensi, & Varmiensi, ad libit

Die xiii. S. Margaritæ V. Mart. duplex.

Die xv. Divisio SS. Apostolorum, duplex.

Comm. S. Davidis Abbatis.

Die xvi. SS. Eremitarum Andreæ & Benedicti Martyrum duplex in Archi-Diœcef. Gnesnens.

Die xviii. S. Simonis de Lipnica, duplex.

Die xix. S. Joannis de Dukla, duplex.

Die xx. S. Ceslai Conf. dupl.

Dominica proxima post 24. Julii S. Cunegundis Virg. dupl.

Die xxiv. S. Camilli de Lellis Conf. dupl.

Die xxvi. S. Christinæ V. M. dupl. In Diœc. Posnaniensi, Plocensi, Luceoriensi, & Varmiensi.

Die xxviii. S. Bodvidi Martyris duplex.

Die xxix. S. Olavi Regis & Martyris. duplex

Die xxxi. S. Helenæ Viduæ & Martyr. dupl.

FESTA AUGUSTI.

Die ii. Commemoratio S. Catharinæ Vastanensis V.

Die xvi. S. Rochi Conf. duplex.

Dominica proxima post Festum Assumptionis B. V. M. S. Hyacinthi Conf. dupl.

Die xviii. S. Claræ de Monte Falcon. Virg.

Die xix. S. Benignæ V. M. dupl. In Diœc. Vladislaviensi.

Dominica post Octavam Assumption. B. V. M. Translatio S. Casimiri Conf. duplex.

Die xxix. S. Sabinæ M. dupl. in Ecclesia Cathedr. Posnaniensi.

Die xxx. S. Rosæ Limanæ V. dupl. NB. In Diœc. Vilnensi, Samog. Livoniæ celebratur die 26. Aug

Die xxx. SS. Felicis, & Adaucti, duplex In Diœc. Vilnensi, Samog. & Livoniæ.

FESTA SEPTEMBRIS.

Dominica i. Septembris Festum Reliquiarum Diœcef. Varm. & Samb. dupl.

Die i. B. Ladislai de Gielniow P. R. P. dupl. 1. Class.

Die vi. S. Rosaliæ V. Panormitanæ, dupl. In Diœc. Posnaniensi, & Varmiensi

Vel *S.* Rosæ de Viterb. Virg. dupl.

Die x. S. Dalmatii M. dupl. in Diœç. Vladislaviensi.

Die xxiv. SS. Tyrsi Palmatii, & Soc. M. dupl. in Diœc. Vladislav.

Dominica post festum S. Matthæi festum Reliquiarum Ecclesiæ Ubsalensis.

Die xxvi. S. Josaphat Ep. M. duplex.

Die xxvii. Transl. S. Stanislai Ep. M. dupl.

Die xxviii. S. Wenceslai M. duplex.

FESTA OCTOBRIS.

Die vi. Translatio *S.* Æschili duplex.

Die vii. *S.* Birgittæ Viduæ. dupl.

Die x. Festum Gratiarum actionis pro Victoria ex Turcis obtenta.

Die x. *SS.* Gereonis & *Soc.* MM. dupl. In Diœc. Gnesnensi.

Die x. Feriâ non impeditâ, *S.* Ludovici Bertrandi Conf. non Pont.

Die xv. *S.* Hedwigis Viduæ, duplex.

Die xv. *S.* Thereſiæ V. dupl. in Diœc. Vilnensi ubi *S.* Hedwigis 17. Octobris celebratur

Die xvi. Brunonis Ep. M. Apostoli Pruss. dupl. in Diœc. Varmiensi, & *Sam*biensi.

Die xx. Translatio *S.* Adalberti Episc. M. dupl.

Die xxi. *S.* Ursulæ & *Soc.* VV. MM. duplex cum comm. *S.* Hilarionis Abb.

Die xxiii. *S.* Joannis à Capistrano Confess. duplex.

Dominica 4. Octobr. *S.* Joann. Cantii Conf. duplex.

Die

Die xxviii. *S.* Petri Paschasii Episc. & Mart. duplex.

Die xxxi. S. Wolffgangi Episc. Confessoris duplex.

FESTA NOVEMBRIS.

Dominica 2. Novembris Festum Patrocinii B. V. M. duplex.

Die xii. *SS.* Quinque Fratrum Polonorum MM. duplex.

Dominica proxima post 13. Nov. S. *S*tanislai Kostka C. dupl.

Die xv. *S.* Gertrudis V. Abbatissæ, dupl.

Die xvii. *S. S*alomeæ V. Reginæ Haliciæ. duplex.

Die xix. S. Elisabeth Viduæ, duplex.

MISSÆ.

FESTA DECEMBRIS.

Die iv. Decembris.

In Festo *S.* Barbaræ virginis, & martyris. duplex.

Missa. Loquebar. de comm. virg. mart. alicubi

ORATIO.

POrrige, misericors Deus, clementiam tuam nobis devotè supplicantibus, ut, qui Beatæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ commemoratione gratulamur, virtute illius ad promerendam delictorum veniam gubernemur. Per Dominum nostrum.

Die v. Decembris.

S. Petri Chrysologi Ep. Conf. & Doct. dupl.

Missa. In medio.

ORATIO

DEus, qui beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium, divinitus, præmonstratum ad regendam, & instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

FESTA JANUARII.

Die xix. Januarii.

S. Henrici Episc. & Martyris. dupl.

Missa ex Communi unius Martyris *S*acerdotes Dei.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui beato Henrico Martyri tuo atque Pontifici, glorioso triumphô martyrii largitus es palmam: ejus quæsumus meritis, & precibus gratiam nobis largiaris & gloriam. Per Dominum nostrum.

Die xxi. Januarii.

S. Agnetis virginis, & martyris. duplex.

Missa suo ordine in Missali.

Die xxiii. Januarii.

Desponsatio B. Virginis Mariæ. duplex majus.

Missa in fine Missalis. Commemor. 1. *S.* Joseph, & 2. *S.* Emerentianæ.

Die xxiii. Januarii.

S. Joannis Eleemosynarii Episc. Conf. dupl.

In Diœcesi Plocensi.

Missa ex Communi Confessoris Pontificis. *S*tatuit.

ORATIO.

DEus, qui beatum Joannem Eleemosynarium Confessorem Pontificem tuum, sanctarum Eleemosynarum erogatorem constituisti, donísque temporalibus cumulatum, ad pauperum tuorum consolationem, deficere nunquam permisisti, concede propitius; ut cujus merita hodierna die recolimus, ejus imitatione præsentium futurorúmque bonorum dona, te adjuvante consequi mereamur. Per Dominum.

Die xxiv. Januarii.

Translatio *S.* Erici Regis & Martyris. dupl.

Missa. In virtute tua. de comm. Mart. non Pont. in Orat. Præsta locò natalitia ponitur: translationem. Evangelium ex missa. *S*acerdotes Dei. *S*i quis vult post me venire.

FE-

FESTA FEBRUARII

Die i. Februarii.

In festo sanctæ Brigidæ, Virginis, duplex.

Missa. Dilexisti. de communi Virginum tantùm.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui es sanctarum gloria virtutum, clementiam tuam supplices exoramus: ut per merita beatæ virginis tuæ Brigidæ, opportunum, tuæ pietatis auxilium sentiamus. Per.

Secreta.

MUnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beata Brigida virgine tua, per eadem nos placatus intende. Per.

Postcommunio.

SAtiâsti Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus quæsumus semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

Die iv. Februarii.

S. Ansgarii Episcopi & Confess. duplex.

Missa. Statuit de Comm. Conf. Pontif. Oratio. Exaudi quæsumus. Ex missa sequenti Sacerdotes tui.

Die vi. Februarii.

S. Dorotheæ Virginis, & Martyr. duplex.

Missa. Me expectaverunt peccatores. In Communi Virginum, & Martyrum.

Die vii. Februarii.

S. Romualdi Abbatis. duplex.

Missa. Os justi meditabitur. de Communi Abbatum.

Die ix. Februarii.

S. Apolloniæ virginis, & Martyris. duplex

Missa. Dilexisti. de Com. Virg. mart.

Die x. Februarii.

S. Scholasticæ virginis, duplex.

Missa. Dilexisti. ORATIO.

DEUS, qui Animam B. Virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiæ viam, in Columbæ specie Cœlum penetrare fecisti; da nobis ejus meritis, & precibus ità innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

Die xix. Februarii.

S. Conradi Placentini, Semiduplex.

Missa. Justus ùt palma. De Communi Conf. non Pont. Evangelium, Ecce nos reliquimus omnia. De Communi Abbatum.

Die xxv. Februarii.

S. Sigfridi Episcopi Confessoris duplex.

Missa. Statuit de Comm. Conf. Pontif.

ORATIO.

DEus, qui beatum Sigfridum Confessorem tuum, Evangelicæ prædicationis gratiâ sublimâsti: præsta quæsumus; ut & doctrinâ ejus erudiamur, & precibus adjuvemur. Per Dominum.

FESTA MARTII.

Die i. Martii.

S. Albini Confessoris Pontificis, duplex in Diœcesi Gnesnensi.

Missa. Statuit. de Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

VOtiva quæsumus Domine nos beati Albini Confessoris tui atque Pontificis natalitia restaurent, & ad omne bonum tuâ gratiâ faciant propensiores. Per Dominum.

Die ii. Martii.

S. Helenæ Imperatricis Viduæ duplex.

Introitus.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Psal. 22. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Gloria &c.

ORATIO.

DOmine JEsu Christe, qui locum, ubi Crux tua latebat, Beatæ Helenæ revelâsti, ut per eam Ecclesiam tuam hoc pretioso thesauro ditares, ejus nobis intercessione concede, ut vitalis ligni pretiô æternæ vitæ præmia consequamur. Qui vivis & regnas. &c.

In Quadragesima fit comm. Fer.

Lectio Libri Sapientiæ. Prov. c. 31.

MUlierem fortem quis inveniet, procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum,

 omni-

omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum, & operata est consiliô manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, & emit eum, de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Gustavit & vidit quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domûs suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt, vir ejus, & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.

Graduale.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, filiæ Regum in honore tuo. ℣. Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, & exultatione adducentur in templum Regis.

Tractus.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. ℣. Psalm. 44. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ præ consortibus tuis. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.

Sequentia Sancti Evangelii secundùm Matthæum. Matth. 13.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc. Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Iterùm simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cùm impleta esset, educentes & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: etiam. Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

Offertorium.

NOn enim judicavi me scire aliud, nisi JEsum Christum, & hunc Crucifixum.

Secreta.

PEr hæc sacra Mysteria concede nobis Domine, ut sicut Beatæ Helenæ misericorditer tribuisti, ut Filium tuum Crucifixum in corde semper gestaret, ità & nos eum in cordibus nostris perpetuò deferamus. Per eundem.

In Quadragesima commem. Feriæ & Præfatio Quadrages.

Communio.

AScendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus.

Postcommunio.

COncede nobis misericors Deus, ut qui salutiferæ Crucis tuæ fructu in terra sumus recreati, per intercessionem Beatæ Helenæ

Helenæ eodem jugiter perfrui mereamur in Cœlis. Qui vivis &c.

In Quadragesima commemoratio Feriæ & ultimum Evangelium de eadem.

Die iv. Martii.

In festo S. Casimiri Confessoris, duplex.

Missa. Os justi. de Communi Conf. non Pontificis

ORATIO.

DEus, qui inter regales delicias intactum à mundi illecebris spiritum sancti Casimiri Confessoris tui conservâsti: fac, quæsumus: ut tui fideles ità in tuo amore firmentur, ut & terrena despiciant, & ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum.

Pro commemoratione sancti Lucii Papæ, & Martyris.

ORATIO.

DEus, qui nos beati Lucii martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius: ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Secreta.

SUscipe, misericors DEUS, hæc tuæ plebis obsequia, & cœlestia munera expectantis petitionis propitius exaudi. Per.

De sancto Lucio.

Secreta.

MUnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Lucio martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Postcommunio

COelesti alimonia satiati, ad te Domine cuncti confugimus, ut qui multorum criminum pondere premimur, per sancti Casimiri merita ad te levemur. Per Dom.

Pro commemoratione S. Lucii.

Postcommunio.

HÆc nos communio, Domine, purget à crimine: & intercedente beato Lucio martyre tuo atque Pontifice, cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dom.

Die v. Martii.

In festo Translationis sancti Wenceslai martyris. duplex.

Introitus.

LÆtabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Psalm. Exaudi DEUS orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui beati Wenceslai nobilitatem in meliorem mutâsti dignitatem, & eum per martyrii palmam ad cœlestem perduxisti gloriam: ejus precibus nos quæsumus ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concede perfrui gloria. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

CHarissimi: Communicantes Christi passionibus gaudete: ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ùt homicida; aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ùt Christianus, non erubescat: glorificet autem DEum in isto nomine. Quoniam tempus est, ut incipiat judicium à domo DEI. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt DEI Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt? Itaque hi, qui patiuntur secundùm voluntatem DEI, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Graduale. Justus cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. ℣. Tota die miseretur, & commodat: & semen ejus in benedictione erit.

Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria, & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

Credo.

Offertorium.

Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dominum.

Communio.

Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine DEus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Wenceslao martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum.

Die ix. Martii.

S. Catharinæ Bononiensis, Ordinis S. Francisci Minor. Dupl. in Diœc. Varmien.

Missa ex Communi Virginum. Dilexisti.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beatæ Catharinæ Virginis præclaris decoras meritis, & gloriosis lætificas miraculis: concede nobis famulis tuis, ut & exemplis ejus in melius reformemur, & patrociniô ab omnibus adversis protegamur. Per Dominum nostrum.

Die x. Martii.

In festo sanctorum Cyrilli, & Methodii Confessorum, & Pontificum, in Diœcesi Gnesn. Semidupl. in Præmislien. Duplex.

Missa. Sacerdotes. De Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui nos per beatos Pontifices, & Confessores tuos Cyrillum, & Methodium ad unitatem fidei Christianæ vocare dignatus es, præsta; quæsumus: ut qui præsenti eorum festivitate lætamur, ipsorum etiam meritis gloriam consequi mereamur æternam. Per

Tractus.

Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. ℟. Venientes autem venient cum exulatione, portantes manipulos suos.

Offertorium.

Mirabilis DEUS in sanctis suis: DEUS Israël, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Secreta.

OBlatis, quæsumus Domine, placare muneribus: & intercedentibus sanctis tuis Cyrillo, & Methodio, à cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Communio.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus; & quod in aure auditis; prædicate super tecta.

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, intercedentibus sanctis Confessoribus tuis Cyrillo, & Methodio, ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

Die xvii. Martii.

S. Gertrudis virginis.

Semiduplex in Diœcesi Gnesnensi & Culmensi.

Missa. Dilexisti. Oratio. Indulgentiam tuam. demptô & Martyr. de Comm. Virg

Die vxiii. Martii.
S. Gabrielis Arch-Angeli, duplex.
Missa ùt in Additamento Missalis.

Die xxiii. Martii.
S. Catharinæ Vastanensis Virginis duplex.
Missa. Dilexisti de Comm. Virg.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam beatæ Catharinæ Virginis præclaris decoras meritis, & gloriosis lætificas miraculis: concede nobis famulis tuis, ut & exemplis ejus in melius reformemur, & patrociniô ab omnibus adversis protegamur. Per Dominum nostrum.

FESTA APRILIS.

Die xxiii. Aprilis.
In festo sancti Adalberti Episcopi & Martyris, duplex.

Introitus.

PRotexisti me DEUS à conventu malignantium, alleluja: à multitudine operantium iniquitatem alleluja, alleluja. Psal. Exaudi DEUS orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

TUam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Hebræos. ad Hebr. c. 5.

FRatres: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM: ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo ità etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à DEO, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

Alleluja, alleluja. ℣. Surrexit Pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, & pro grege suo mori dignatus est. Alleluja. ℣. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Joannem. Joan. c. 10.

IN illo tempore: Dixit JEsus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet unum ovile, & unus pastor.

Credo.

Offertorium.

Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei, alleluja.

Secreta.

SAcrificium exhibitum, quæsumus Domine, benignus assume: ut quod nomini tuo in solemnitate beati Adalberti Martyris tui, atque Pontificis deferimus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

Communio.

Ego sum pastor bonus, alleluja: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, alleluja, alleluja.

Postcommunio.

REfecti, Domine, muneribus sacris, supplices te deprecamur: ut indulgen-

tiam tuam nobis intercessio beati Adalberti Martyris tui atque Pontificis semper imploret. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus.

Die xxiv. Aprilis.

S. Georgii Martyris.

Semidupl. in Lithuania duplex, celebraturque xxiii. April. Translatô in xxiv. Festô S. Adalberti.

Missa Protexisti.

Dominica iii. post Pascha.

Festum Patrocinii S. Joseph, duplex.

Missa propr. in fine Missal.

FESTA MAJI.

Die ii. Maji.

In festo S. Sigismundi, Regis, & Martyris.

Duplex in Diœcesi Plocensi.

Missa. Protexisti. De Commun. Martyr. tempore Paschal.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Sigismundum Regem, temporali, & æterno diademate cum desiderata martyrii corona honorare dignatus es: tribue, quæsumus, ut qui ejus merita veneramur in terris, ipsius intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum.

Secreta

COncede quæsumus Rex æterne: ut hujus sacrificii munus oblatum, interventu sancti Sigismundi Regis & Martyris, fragilitatem nostram ab omni adversitate semper protegat, & muniat. Per Dom.

Postcommunio.

PUrificent nos, quæsumus Rex æterne, tua percepta sacramenta: & intercessione beati Sigismundi Regis, & Martyris tui, ab omni malo expiatos, tibi nos reddant acceptos. Per Dominum.

Die iv. Maji.

In festo S. Floriani Martyris, duplex.

Missa Protexisti. De Commun. Mart. temp. Pasch.

ORATIO.

DEUS, qui nos beati Floriani Martyris tui solemnitate lætificas: concede propitius: ut cujus gloriosum triumphum veneramur in terris, societatis ejus lætitiam adipisci mereamur in cœlis. Per Dom.

Secreta.

HAnc oblationis hostiam, quæsumus omnipotens DEUS, beati Floriani Martyris tui, digna commendet oratio: qui sancto charitatis tuæ devictus amore, propriam sui corporis hostiam in odorem suavitatis tibi obtulit vivam. Per Dom.

Postcommunio.

SAncta nos, quæsumus Domine, sacramenti cœlestis participatio, & ab hostium callido tueatur incursu: & sancto Floriano intercedente, nobis remedia salutis conferant sempiterna. Per Dom.

Die viii. Maji.

In festo S. Stanislai Episcopi, & Martyris. duplex.

Missa. Protexisti. ut in Romano.

Die xiii. Maji.

In festo S. Servatii Ep. Conf. dupl. in Diœcesi Gnesnensi.

Missa. Statuit.

ORATIO.

DEUS, qui populo tuo sanctum dedisti Servatium prædicatorem, concede quæsumus, ut nos tanti Pontificis intercessione, & tuæ pietatis defensione, ab omnibus ubique liberemur adversis, & tranquilla prosperitate, in tua jugiter laude lætemur. Per Dominum.

Die xvi. Maji.

In festo S. Joannis Nepomuceni Martyris duplex. in fine Missal.

Vel Missa. Protexisti. De Commun. martyr. tempore Paschali. extra tempus Pasch. Missa. Lætabitur.

ORATIO.

DEUS, qui ob invictum beati Joannis Sacramentale silentium novâ Ecclesiam tuam martyrii coronâ decorâsti: da nobis

bis ejus intercessione, & exemplô linguam caute custodire; ac omnia potiùs mala, quàm animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum.

Secreta.

PEr hæc tua, Domine, sacra Mysteria illo nos charitatis igne accendamur, quô inclytus Martyr Joannes eadem peragendo flagrabat. Per Dominum.

Postcommunio.

SPiritum, Domine, fortitudinis hæc nobis tribuat mensa cœlestis, quæ beati Martyris tui Joannis per Sacramenti tentatam constantiam, jugiter aluit ad victoriam Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

Die xviii. Maji.

S. Erici Regis & Mart.

Missa. Protexisti. **duplex.**

ORATIO.

DEUS, qui beato Erico, Regi & Martyri tuo, victoriæ palmam & cœlestis regni gloriam contulisti: fac nos, quæsumus ejus meritis, & intercessione cuncta nobis adversantia vincere, & coronam gloriæ in cœlis feliciter obtinere. Per Dom.

Dominica ii. post Pascha.

De SS. Sepulchro D. N. J. C.

Introitus Isaiæ. 11.

IN die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, Alleluja. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, Alleluja. Alleluja. **Psalm. 45.** Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Gloria Patri, In die illa &c.

Dicitur. Gloria in excelsis.

ORATIO.

DOmine JESU Christe, qui pro nobis mortem subire, & in Sepulchro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis, ut qui Sepulchri Tui memoriam recolimus; Resurrectionis tuæ participes esse mereamur. Qui vivis.

Commemor. Dnicæ 2dæ post Pascha.

Lectio Actuum Apostolorum. cap. 13.

IN diebus illis: Surgens Paulus, & manu silentium indicens ait: Viri Fratres, Filii, generis Abraham & qui in vobis timent DEum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem & principes ejus, ignorantes JEsum & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummâssent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. DEus verò suscitavit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

Alleluja, allel. **Job. cap. 3.** Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum; gaudéntque vehementer, cùm invenerint Sepulchrum, Alleluja.

Joan cap. 20. Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Alleluja.

Sequentia S. Evangelii seundùm Lucam, **Lucæ 24.**

UNa Sabbati valde diluculô, venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverunt aromata, & invenerunt lapidem revolutum à monumento, & ingressæ non invenerunt Corpus Domini JESU. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis Viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus, & regressæ à monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi. & cæteræ, quæ

cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc: Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat.

Credo.

Offertorium.

Ps. 41. Transibo in locum Tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei, Alleluja.

Secreta.

DEus, qui per depositionem Sanctissimi Corporis Filii Tui in Sepulchro, idem Sepulchrum sanctificâsti, concede quæsumus, ut in hoc Sepulchro animâ & corde habitemus. Per eundem.

Commemoratio Dominicæ.

Præfatio de Resurrectione.

Te quidem Domine omni tempore.

Communio Sap. 9.

Beatus qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes Ostii mei. Alleluja.

Postcommunio.

DEus, qui nos Sancti Sepulchri Filii Tui lætari facis honore, præsta quæsumus, ut in eodem sepulti, mundo moriamur, & Tibi soli vivamus. Per eundem.

Commemor. Domin. & Evang. ultimum.

Die xxv. Maji.

In festo S. Joannis de Predo Martyr. semid.

ORATIO.

DEus, qui contra Mahometicam pravitatem beatum Joannem Præconem eximium effecisti, concede: ut sicut ipse pro tuæ fidei dilatatione Martyrii palmam meruit obtinere; sic nos ejus intercessione fidei nostræ præmia consequi mereamur. Per Dominum.

FESTA JUNII.

Die iii. Junii.

In festo S. Erasmi Episcopi, & Martyris. duplex in Diœcesi Plocens. alibi ad libit.

Missa de Comm. Mart. Pont. pro divers. tempor.

ORATIO.

DEUS, cujus virtute beatus Erasmus Martyr, & Pontifex, multa tormentorum genera superavit: fac nos, quæsumus, ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium, & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis operibus abundare. Per Dominum.

Secreta.

MUnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Erasmo Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine DEUS noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Erasmo Martyre tuo, atque Pontifice sentiamus effectum. Per Dominum.

Die xiii. Junii.

In festo S. Antonii de Padua, Conf.

Missa ut in Missali Rom. suo ordine.

Die xvi. Junii.

S. Bennonis Episcopi Conf. duplex.

Missa. Statuit. De Comm. Conf. Pont.

ORATIO.

DEUS, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dom.

Die xix. Junii.

S. Bonifacii Episcopi Mart. Semiduplex.

Missa ex Comm. unius Mart. Pont.

Die xxi. Junii.

S. Aloysii Gonzaga Conf. non Pont. duplex. in fine Missalis.

Die xxii. Junii.

In festo S. Æschili Episcopi & Martyris. duplex.

Missa. Sacerdotes. De Comm. Mart. Pontif.

ORA-

ORATIO.

DEUS, qui beatum Æſchilum Pontificem tuum, pro fidei dilatatione martyrium ſubire voluiſti: præſta, quæſumus; ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

Die xxvii. Junii.

S. Ladislai Regis Hungariæ Conf. duplex in Diœceſi Vilnenſi, Samogit. & Livoniæ.

Miſſa ex xxv. Auguſt. Feſto S. Ludovici Confeſſoris.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Regem Ladislaum Confeſſorem tuum diverſis decorâſti miraculis, præſta quæſumus, ut ejus ſuffragantibus meritis, ab omnibus ſemper muniamur adverſis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum.

Dominica prima poſt Octavam SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, celebratur Feſtum Sanctorum Patronorum Regni Sueciæ.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtûm celebrantes ſub honore Sanctorum omnium, de quorum ſolemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI. Pſalm. Exultate Juſti in Domino: rectos decet collaudatio. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

INfirmitatem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice: & mala omnia, quæ pro peccatis noſtris juſtè meremur, Sanctorum tuorum hujus Regni Patronorum interceſſione clementer averte. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

JUſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori: & æſtimata eſt afflictio exitus illorum; & quod à nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam DEus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe. Tamquàm aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

Graduale.

Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam nihil deeſt timentibus eum. ℣. Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Alleluja, alleluja. ℣. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Alleluja.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Joannem.

IN illo tempore: Videns JESUS turbas, aſcendit in montem; & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus: & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde: quoniam ipſi DEUM videbunt. Beati pacifici: quoniam filii DEI vocabuntur. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Credo.

Offertorium.

Juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.

Secreta.

MUnera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dom.

Communio.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur: beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Postcommunio.

DA, quæsumus Domine DEUS noster: ut sicut tuorum commemoratione Sanctorum, temporali gratulamur officio; ità perpetuo lætemur aspectu. Per Dom.

FESTA JULII.

Die vii. Julii.

duplex majus, pro tota Societate JESU, & aliis in ejus Eccl. vel oratoriis celebrantibus concessit S. D. N. Benedictus XIV. 2. Febr. ann. 1752.

Introitus.

VUltum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia, & exultatione. Psal. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui beatam Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis prærogativâ decorâsti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum Fidei amorem tribuere voluisti; concede, ut ejus intercessione tibi puris mentibus inhærentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. cap. 7.

FRatres, de virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccâsti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est. Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint.

Graduale.

Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluja, alleluja. ℣. Filiæ regum in honore tuo, astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Allel.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Joannem. cap. 17.

IN illo tempore dixit JEsus: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JEsum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti.

Offertorium.

Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris.

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore sanctorum

ctorum, quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dom.

Communio.

O quàm pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius: quoniam, & apud Deum nota est, & apud homines.

Postcommunio.

SAtiâsti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

Die ix. Julii.

SS. Martyrum Gorcomiensium, duplex in Diœc. Posnaniensi Plocensi & Varmiensi ad libit.

Missa. Intret in conspectu. De Comm. Martyr.

ORATIO.

DEUS, qui beatorum Martyrum tuorum Nicolai & sociorum ejus, gloriosum pro fide tua certamen æternitatis laureâ decorâsti, concede propitius, ut eorum meritis & imitatione certantes in terris cum ipsis coronari mereamur in cœlis. Per Dom.

Die xiii Julii.

S. Margaritæ Virginis, & Martyris. duplex.

Missa. Me exspectaverunt. De Comm. Virg. & Mart.

Die xv. Julii.

In festo Divisionis SS. Apostolorum. dupl.

Missa Mihi autem nimis. Evang. Convocatis. Ex festo S. Marci xxv. April.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum prædicatione fundâsti: concede propitius: ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum.

Secreta.

GLoriam. Domine, sanctorum Apostolorum tuorum perpetuam in eorum divisione recensentes, quæsumus: ut eam sacris mysteriis expiati, digniùs celebremus. Per Dominum.

Præfatio de Apostolis.

Communio.

Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israël.

Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis, suppliciter exoramus: ut intercedentibus beatis Apostolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus commemoratione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

Die xv. Julii.

Commemor. S. Davidis Abbatis. Ex Missa. Os justi. ut in Comm. Abbatum.

Die xvi. Julii.

SS. Eremitarum Andreæ & Benedicti Martyrum duplex.

Missa. Intret in conspectu. De Comm. plurim. Mart.

Die xviii. Julii.

S. Simonis de Lipnica Conf. Semiduplex.

Missa. Os justi. De Communi Confess. non Pontif.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui beatum Simonem Confessorem tuum Evangelicâ prædicationis gratiâ sublimâsti, concede propitius; ut ejus salutaris doctrinæ pabulô nutriti, quæ tibi sunt placita exequentes, per semitas justitiæ ad cœlestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

Die xix. Julii.

S. Joannis de Dukla Conf. duplex.

Missa. Os justi. De Comm. Conf. non Pontificis.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Joannem Confessorem tuum eximiæ humilitatis, & patientiæ donîs decorâsti: concede propitius, ut

ut ejusdem imitantes exempla, consequamur & præmia. Per Dominum.

Die xx. Julii.

S. Ceslai Conf. duplex.

Missa. Os justi. De Comm. Conf. non Pontif. Evang. Designavit Dominus. Ex Missa S. Marci xxv. April.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Ceslaum virgineo morum candore præditum, & salutis animarum zelô succensum in diversis nationum populis, operum sanctitate, & fidei propagatione mirabilem effecisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessione, simus semper in fide stabiles, & ad te, qui solus es æternæ salutis author ac largitor, misericordiæ tuæ munere pervenire valeamus. Per Dominum.

Die xxiv. Julii.

S. Camilli de Lellis Conf. duplex.

Missa. Os justi. De Comm. Confess. non Pontificis.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativâ decorâsti: ejus quæsumus, meritis, Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut in hora exitûs nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs Sancti Deus &c.

Dominicâ proximâ post xxiv. Julii.

S. Cunegundæ Virginis.

duplex.

Missa. Dilexisti.

ORATIO.

DEUS, qui B. Cunegundam dulcedinis tuæ benedictionibus prævenisti, ac Virginem etiam in conjugio conservâsti, præsta quæsumus, ut ipsa interveniente per vitæ puritatem, tibi jugiter adhærere, & per ejus vestigia gradientes, ad te pervenire feliciter mereamur. Per Dominum.

Die xxvi. Julii.

S. Christinæ Virg. Mart.

duplex in Diœcesi Posnanien. Plocensi, Luceoriensi, & Varmien.

Missa. Me expectaverunt. De Comm. Virg. & Mart.

Die xxviii. Julii.

S. Bodvidi Mart. duplex.

Missa. Lætabitur justus. ut in Communi Martyris.

ORATIO.

COrdibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei splendor illuceat: & beati Bodvidi Martyris tui salutaris intercessio ab instantibus periculis nos defendat. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: & eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solemnitate defertur. Per Dominum.

Communio.

Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine DEus noster: ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato Bodvido Martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum.

Die xxix. Julii.

In festo S. Olavi Regis, & Martyris. dupl. Missa. In virtute tua. De Comm. unius Mart. Evangelium ex Missa. Sacerdotes Dei, Si quis vult post me venire.

ORATIO.

DEUS, qui es Regum corona: & Martyrum victoria: tribue nobis, quæsumus, beati Olavi Regis, & Martyris tui pia apud te experiri patrocinia: ut per tuam, quam in ejus passione glorificamus, magnificentiam, coronam vitæ diligentibus te percipiamus repromissam. Per Dominum.

Offer-

Offertorium. Gloria, & honore coronâsti eum. Et constituisti eum super opera manuum tuarum Domine.

Secreta.

MUneribus nostris, quæsumus Domine, precibúsque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

DA quæsumus Domine DEUS noster: ut, sicut tuorum commemoratione Sanctorum, temporali gratulamur officiô; ità perpetuo lætemur aspectu. Per Dom.

Die xxxi. Julii.

In festo S. Helenæ, Viduæ & Mart. **dupl.**

Introitus.

ME expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua Domine intellexi: omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. **Psal.** Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. ℣. Gloria.

ORATIO.

LArgire nobis, quæsumus, clementissime DEUS intercessione beatæ Helenæ Martyris tuæ, veniam nostrorum peccatorum: & quos ejus concedis solemniis gloriari, da ejus precibus gloriosis cœlitus adjuvari. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

MUlierem fortem quis inveniet? Procul, & de de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui: & spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum: & operata est consiliô manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos: & roboravit brachium suum. Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fortia: & digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi: & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, & purpura indumentum ejus. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo, & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ: & lex clementiæ in lingua ejus. Consideravit semitas domûs suæ: & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum; & laudent eam in portis opera ejus.

Graduale. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus oleô lætitiæ. Alleluja, alleluja. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prosperè, procede, & regna. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Loquente JESU ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te. At ipse, respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Offertorium. Diffusa est gratia in labiis tuis,

tuis, propterea benedixit te DEUS in æternum, & in sæculum sæculi, alleluja.

Secreta.

SUscipe Domine munera, quæ in beatæ Helenæ Martyris tuæ solemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinió liberari. Per Dominum.

Communio. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, & quasi qui invenit spolia multa.

Postcommunio.

AUxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria: & intercedente beata Helena Martyre tua, sempiterna faciant protectione gaudere. Per Dominum.

FESTA AUGUSTI.

Die ii. Augusti.

Commemoratio sanctæ Catharinæ Vastanensis Virg.

Missa. ut supra xxiii. Martii.

Die xvi. Augusti.

S. Rochi Confessoris, duplex.

Missa ex Communi Abbat.

ORATIO.

DEUS, qui gloriosus es in Sanctis tuis, quíque cunctis ad eorum patrocinia confugientibus suæ petitionis salutarem præstas effectum; concede plebi tuæ, ut intercedente B. Rocho Confessore tuo, quæ in ejus commemoratione se devotam exhibet, à languore epidemiæ, quem in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, sit libera; & tuo nomini semper sit devota. Per Dominum.

Dominica proxima post festum Assumptionis B. V. Maria.

S. Hyacinthi Confessoris. duplex.

Introitus.

OS justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. Psal. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. ℣. Gloria.

ORATIO.

ADesto Domine, supplicationibus nostris, quas in beati Hyacinthi Confessoris tui solemnitate deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

Vel ORATIO.

DEUS, qui beatum Hyacinthum Confessorem tuum, in diversis nationum populis operum sanctitate, & miraculorum gloriâ fecisti conspicuum: da nobis, ut suis in melius reformemur exemplis; & in adversis protegamur auxiliis. Per Dom.

Secunda Oratio de Octava Assumptionis B. Mariæ. Famulorum tuorum.

Tertia de Octava S. Laurentii. Oratio. Da nobis.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum: vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur: & benedicimus. Persecutionem patimur: & sustinemus. Blasphemamur: & obsecramus Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo: sed ut filios meos charissimos moneo: in Christo JEsu Domino nostro.

Graduale: Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluja. alleluja. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja.

Se-

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis: ut cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ità invenerit: beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret: vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

Credo.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

PRæsta nobis, quæsumus omnipotens DEUS: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum.

Communio. Beatus servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

QUæsumus omnipotens DEUS: ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Hyacintho Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Die xviii. Aug. S. Claræ de Falc. ut fol. ult.

Die xix. August.

In festo S. Benignæ Virg. & Mart. duplex. in Diœcesi Vladislaviensi.

Missa. Loquebar. De Comm. Virg. & Martyr.

Offertorium. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te DEus in æternum, & in sæculum sæculi,

Communio. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Dominica post Octavam Assumptionis. B. V. MARIA.

Translatio S. Casimiri. Conf. duplex.

Missa. Os justi. De Communi Conf. non Pont.

ORATIO.

DEUS, qui B. Casimirum de mundi & carnis victoria triumphantem, à terreno ad cœleste Regnum transtulisti; da quæsumus, ut qui ejus hodie memoriam translationis agimus, ejusdem semper in adversitatibus experiamur suffragia. Per.

Die xxix. Augusti.

In festo S. Sabinæ Martyris, dupl. in. Eccl. Cath. Posnaniensi.

Introitus.

ME expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua Domine intellexi: omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Psal. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. ℣. Gloria.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti: concede propitius: ut qui B. Sabinæ Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Epistola. Confitebor tibi Domine Rex Ut in Missa. Loquebar.

Graduale. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus oleô lætitiæ. Alleluja, alleluja. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua: in-

intende, prospere procede, & regna. Alleluja.

Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. De Communi.

Offertorium. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te DEUS in æternum, & in sæculum sæculi, alleluja.

Secreta.

Hostias tibi Domine, beatæ Sabinæ Martyris tuæ dicatas meritis, benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue pervenire subsidium. Per Dominum.

Communio. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, quasi qui invenit spolia multa.

Postcommunio.

Divini muneris largitate satiati, quæsumus Domine DEUS noster: ut intercedente beata Sabina Martyre tua, in ejus semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum.

Die xxx. Augusti.

S. Rosæ Limanæ, Virg. duplex

Missa. Dilexisti. Ex Comm. unius Virg.

ORATIO.

Bonorum omnium largitor omnipotens DEUS, qui B. Rosam cœlestis gratiæ rore præventam, Virginitatis & pudicitiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Per Dominum.

In Diœcesi Vilnensi, Samogitiensi, Livoniæ celebratur xxvi. August.

Die xxx. Augusti.

SS. Felicis, & Adaucti MM. duplex in Diœcesi Vilnensi, Samogit. & Livon.

Missa ut in Missal. Rom. Additur Collecta pro Gratiarum Actione.

Dominica i. Septembris.

Festum reliquiarum in Diœcesi Varm. & Sambiensi.

Missa. ut in Missali, aut De Communi Mart. Salus autem justorum.

ORATIO.

Auge in nobis, quæsumus: Domine resurrectionis fidem qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: & fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum nostrum.

Die i. Sept.

B. Ladislai de Gielniow Conf. P. R. P. Ord. Minorum de observantia. dupl. i. Classis.

Missa. Justus. de Comm. Conf.

ORATIO.

DEUS, qui B. Ladislaum religiosa perfectione voluisti omnibus prælucere, concede propitius, ut ejus exemplo in virtutibus jugiter proficiamus. Per Dom.

Die iv. Sept.

S. Rosæ de Viterb. V. dupl. in fine Missal.

Die vi. Sept.

S. Rosaliæ V. Panormitanæ duplex in Diœcesi Posnan. & Varmien.

Missa ut in fine Missalis.

Die x. Septembris.

In festo S. Dalmatii Mart. duplex in Diœc. Vladislaviensi.

Missa. In virtute tua. De Comm. unius Mart. non Pont.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne DEUS, fidelium tuorum indeficiens conservator, qui gloriosi Martyris tui Dalmatii clarificare dignatus es solemnitatem, exaudi preces supplicantis Ecclesiæ, & præsta: ut quæ devotè expetit, eo suffragante consequi mereatur. Per Dominum.

Epiſtola. Memor eſto Dominum JEſum Chriſtum. **De Communi unius Martyris. Ex Miſſa L**ætabitur.

Evangelium. Si quis vult venire poſt me. **De Communi unius Martyris Pontificis. Ex Miſſa S**acerdotes.

Offertorium. In virtute tua Domine lætabitur Juſtus: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer: deſiderium animæ ejus tribuiſti ei.

Secreta.

MUneribus noſtris, quæſumus Domine, precibúsque ſuſceptis: & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Communio. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum; & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Poſtcommunio.

REfecti participatione muneris ſacri, quæſumus Domine DEUS noſter: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Dalmatio Martyre tuo, ſentiamus effectum. Per Dominum.

Die xxiv. Septembris.

In feſto SS. Tyrſi, Palmatii, & Socior. Martyrum **duplex in Diœceſi Vladislav.**

Miſſa. Salus autem Juſtorum. **De Com. plurimorum Mart.**

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui beatum Tyrſum, Palmatium, & Socios pro confeſſione nominis tui fortes in certamine feciſti, & eos per martyrii palmam ſanctis tuis, in cœlis ſociâſti: præſta, quæſumus: ut qui Martyrii eorum diem annua devotione recolimus, ipſorum interceſſione in confeſſione fidei ſimus ſtabiles, & in bonis operibus efficaces. Per Dominum.

Secreta.

ACcepta ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio: & eorum nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro quorum ſolemnitate defertur. Per Dominum.

Poſtcommunio.

DA, quæſumus Domine DEUS noſter: ut, ſicut tuorum commemoratione ſanctorum, temporali gratulamur officio; ità perpetuo lætemur aſpectu. Per Dom.

Ubi ſolius S. Tyrſi celebratur feſtum Miſſa. Lætabitur. **Oratiô. Eadem omiſſis** Palmatium & Socios.

Dominica proxima poſt Feſtum S. Matthæi Feſtum Reliquiarum **Eccleſiæ Upſalenſis.**

Miſſa. Salus autem. **De Comm. MM.**

ORATIO.

PRopitiare, quæſumus Domine, famulis tuis per merita glorioſæ Virginis Mariæ, & beatorum Martyrum Laurentii, Erici, & omnium Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ in hac continentur Eccleſia, ut eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur adverſis. Per Dominum.

Die xxvi. Septembris.

S. Joſaphat Epiſc. Mart. **duplex.**

Miſſa. Statuit. **De Comm. unius Mart. Pontif.**

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui B. Joſaphat palmâ Martyrii condecorando Eccleſiæ Catholicæ novum apud te interceſſorem providiſti, quæſumus, ut ejus meritis & auxiliô, à malis omnibus liberati tuo nomini ſtudioſiùs ſerviamus. Per Dominum noſtrum.

Die xxvii. Septembris.

In feſto Translationis S. Stanislai Epiſcopi, & Mart. **duplex.**

Miſſa. Statuit. **De Comm. unius Mart. Pont. Epiſtola.** Omnis Pontifex, **Evangelium.** Ego ſum Paſtor bonus. **Ex Miſſa S. Adalberti xxiii. April.**

ORATIO.

DEUS, pro cujus honore glorioſus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit: præſta, quæſumus: ut omnes, qui ejus

ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dom.

Secreta.

MUnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Stanislao Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Postcommunio.

HÆc nos communio, Domine, purget à crimine: & intercedente beato Stanislao Martyre tuo, atque Pontifice, cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum nostrum.

Die xxviii. Septembris.

In festo S. Wenceslai Mart. duplex.

Introitus.

LÆtabitur Justus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Psal. Exaudi DEUS orationem meam, cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui beati Wenceslai nobilitatem in meliorem mutâsti dignitatem, & eum per martyrii palmam ad cœlestem perduxisti gloriam: ejus precibus nos, quæsumus, ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concede perfrui gloria. Per.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

CHarissimi: Communicantes Christi passionibus, gaudete: ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrûm patiatur ùt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ùt Christianus: non erubescat, glorificet autem DEUM in isto nomine, Quoniam tempus est, ut incipiat judicium à domo DEI. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt DEI Evangelio? Et si justus vix salvabitur: impius, & peccator ubi parebunt? Itáque & hi, qui patiuntur secundùm voluntatem DEI: fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Graduale. Justus, cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. ℣. Tota die miseretur, & commodat: & semen ejus in benedictione erit. Alleluja, alleluja. ℣. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ æternæ. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore; Dixit JESUS discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

Credo.

Offertorium. Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei, Alleluja.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dominum.

Communio. Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine DEUS noster: ut cujus exequimur cultum intercedente beato Wenceslao Martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum.

FESTA

Die vi. Octobris.

Translatio S. Æſchili. M. P. R. S. duplex. Miſſa ùt in feſto xxii. Junii.

Die vii. Octobris.

Sanctæ Birgittæ Viduæ. duplex.

Miſſa. Cognovi de Comm. nec Virg. nec Martyr.

ORATIO.

DOmine DEUS noſter, qui beatæ Birgittæ per Filium tuum unigenitum ſecreta cœleſtia revelâſti: ipſius pia intercesſione, da nobis famulis tuis, in revelatione ſempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per Dominum.

Die x. Octobris.

Feſtum Gratiarum Actionis pro Victoria de Turcis obtenta.

Miſſa. Votiva de SSS. Trinitate.

ORATIO.

DEUS, qui in ſummis Regni noſtri periculis, antiqua Brachii tui miracula renovâſti, ſuſcipe gratiarum actiones exultantium populorum, & quibus tanti gaudii cauſam præſtitiſti, perpetuæ fructum concede lætitiæ. Per Dominum.

Secreta. Odorem Domine.

Poſtcommunio.

DEUS, qui neminem in te ſperantem. ùt poſt Votivam de SSS. Trinitate ponuntur.

Die x. Octobris.

In feſto ſanctorum Gereonis, & Sociorum Mart. duplex. in Diœceſi Gneſnenſi.

Introitus.

CLamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Pſal. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo. ℣. Gloria.

ORATIO.

DEUS, qui hunc diem Beatorum Martyrum tuorum Gereonis, ſociorúmque ejus paſſione conſecrâſti: præſta, quæſumus: ut eorum ſuffragia apud te ſentiamus in cœlis, quorum hìc ſolemnia pio amore veneramur in terris. Per Dominum.

Lectio libri Apocalypſis beati Joannis Apoſtoli.

IN diebus illis: Reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna: & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum DEI, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos. Non eſurient, neque ſitient amplius: nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus. Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos: & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: & abſterget DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum.

Graduale. Vindica Domine, ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt. ℣. Poſuerunt mortalia ſervorum tuorum Domimine, eſcas volatilibus cœli: carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Alleluja, alleluja. ℣. Juſti epulentur, & exultent in conſpectu DEI: & delectentur in lætitia. Alleluja.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore: Deſcendens JESUS de monte, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis: qui venerant, ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos: dicebat: Beati pau-

pauperes: quia vestrum est regnum DEI. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra, multa est in cœlo.

Offertorium. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exultationes DEI in faucibus eorum, Alleluja.

Secreta.

MUnera tibi Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum: & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dom.

Communio. Posuerunt mortalia servorum tuorum Domine, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: secundùm magnitudinem brachii tui posside filios morte punitorum.

Postcommunio.

DEUS, qui nos & cœlestibus pascere sacramentis, & sanctorum Martyrum tuorum Gereonis, Sociorúmque ejus non desinis fovere suffragiis: præsta, quæsumus: ut quod illis ad gloriam contulisti, ad nostræ prosit fragilitatis auxilium. Per Dominum nostrum.

Post x. Octobris feriâ non impeditâ S. Ludovici Bertrandi Conf. non Pont.

Missa. Os justi.

Die xv. Octobris.

In festo S. Hedwigis Viduæ. **duplex.**

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Hedwigis: de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI. **Psal.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. **℣. Gloria.**

ORATIO.

DEUS gratiæ dator & gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperi, & præsta: ut qui manentem civitatem hìc non habemus, ad futuram quam quærimus, beatæ Hedwigis interveniente suffragio, perducamur. Per Dominum.

Lectio. Mulierem fortem.

Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro. **De Comm. non Virg.**

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dom.

Postcommunio.

SUmpta, quæsumus omnipotens DEUS, hostia salutaris, ab adversis nos omnibus tueatur incursibus: & post hujus labores exilii, beatæ Hedwigis intervenientibus meritis, ducat ad requiem opulentam. Per Dominum.

Die xv. Octobris.

S. Theresiæ Virg. **duplex in Diœcesi Vilnensi, ubi S. Hedwegis xvii. Octobris celebratur.**

Missa ex Missali Rom.

Die xvi. Octobris.

S. Brunonis Episcopi Mart. Apostoli Prussiæ. **duplex in Diœcesi Varmiensi & Sambiensi.**

Missa. Statuit. **De Comm. unius Mart. Pontificis.**

ORATIO.

MIsericordissime DEUS, pro cujus fidei propagatione, S. Bruno Episcopus & Martyr, in his terris sanguinem liberaliter effudit, miserere animarum populi tui, eásque à culpis & pœnis liberas in Sanctorum tuorum numerum misericordissimè inseras. Per Dominum.

Die xx. Octobris.

In festo Translationis sancti Adalberti Episcopi, & Martyris. **duplex.**

Missa. Statuit. **De Comm. unius Mart.**

ORA-

ORATIO.

TUam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus, & Martyr imploret: ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum.

Lectio Epistolæ. Ex Missa sequenti Sacerdotes. Evang. ex Missa. Statuit. Si quis.

Offertorium. Posuisti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioso: vitam petiit à te, & tribuisti ei.

Secreta.

SAcrificium exhibitum, quæsumus Domine, benignus assume: ut quod nomini tuo in solemnitate (vel commemoratione) beati Adalberti Martyris tui, atque Pontificis deferimus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

REfecti, Domine, muneribus sacris, supplices te deprecamur: ut indulgentiam tuam nobis intercessio beati Adalberti Martyris tui atque Pontificis semper imploret. Per Dominum.

Die xxi. Octobris.

In festo S. Ursulæ & Sociarum Virginum, duplex.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore undecim millium virginum: de quarum passione gaudent Angeli: & collaudant filium DEI. Psalm. Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. ℣. Gloria.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus Domine DEUS noster, sanctarum Virginum, & Martyrum tuarum Ursulæ, & Sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltèm frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Pro commemoratione sancti Hilarionis Abbatis.

ORATIO.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: De virginibus præceptum Domini &c. Ex Missa. Vultum tuum. De Comm. Virginum.

Graduale. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum. Alleluja, alleluja. ℣. Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi in lætitia. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum decem virginibus &c. Ex Missa: Dilexisti. De Comm. Virginum.

Offertorium. Afferentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Secreta.

INtende, quæsumus Domine, munera altaribus tuis pro sanctarum virginum, & Martyrum tuarum Ursulæ, & sociarum ejus, festivitate proposita: ut, sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, ità nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Pro commemoratione sancti Hilarionis Abbatis.

Secreta.

SAcris altaribus, Domine, hostias superpositas sanctus Hilarion Abbas, quæsumus in salutem nobis provenire deposcat. Per Dominum.

Communio. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Post-

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus Dómine, intercedentibus sanctis virginibus, & martyribus tuis: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS.

Pro commemoratione sancti Hilarionis Abbatis.

Postcommunio.

PRotegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Hilarion Abbas, pro nobis intercedendo: ut & conversationis ejus experiamur insignia, & intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum nostrum JEsum Christm Filium tuum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS.

Die xxiii. Octobris.

S. Joannis à Capistrano Conf. duplex.

Missa. Justus ùt palma. De Comm. Conf. non Pontif.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam B. Joannis à Capistrano meritis & doctrinis mirabiliter sublimâsti, & per eum de perfidis tyrannis in virtute SS. nominis JESU fideles tuos triumphare fecisti, præsta quæsumus, ut de inimicis nostris ejus intercessione prævalentes in terris, præmiari cum ipso mereamur in cœlis. Per Dominum.

Dominica iv. Octobris.

S. Joannis Cantii Conf. duplex.

Missa. Justus ùt palma. De Comm. Conf. non Pontif. Pro varietate Diœces.

ORATIO.

DEUS tuorum gloria Sanctorum, præsta quæsumus, ut per intercessionem B. Joannis Cantii ab omnibus liberemur malis animæ, & corporis, & ad vitam perveniamus sempiternam. Per Dóminum.

Vel ORATIO.

DEUS castarum mentium, & corporum summa pulchritudo, & omnis scientiæ fons & origo, concede misericors, ut B. Joannis Cantii cujus hodie festivitatem colimus, & qui tuæ Majestati semper castâ mente & corpore placuit, & sacræ doctrinæ famulatus est obsequiô, ejus suffragante patrocinio pura tibi mente & corpore serviamus, & cibô cœlestis doctrinæ pasti, in vitam nutriamur æternam.

Vel Alia.

DA quæsumus Omnipotens & Misericors DEUS, ut beati Joannis Confessoris tui exemplô misericordiam aliis exhibentes meritis ejus apud te misericordiam consequamur.

Die xxviii. Octobris.

S. Petri Paschasii Episc. & Mart. dupl. min.

Missa. Sacerdotes. De Comm. unius Mart. Pont.

Die xxxi. Octobris.

S. Wolffgangi Episc. Conf. duplex.

Missa ùt in Additamento Missalis.

FESTA NOVEMBRIS.

Dominica ii. Novembris.

Festum Patrocinii B. V. duplex.

Missa ùt in Additamento Missalis.

Die xii. Novembris.

In festo SS. Quinque Fratrum Polonorum Martyrum. duplex.

Introitus.

MUltæ tribulationes justorum; & de his omnibus liberavit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Psal. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

SAnctorum nos, quæsumus Domine, Martyrum tuorum, Benedicti, Joannis, Matthæi, Isaaci, atque Christini gloriosa hodierna die trophæa lætificent: quatenus eorum

rum interventione, ad illam perveniamus hæreditatem: in qua iidem felices, Angelorum cœtibus aggregati, tuæ semper majestatis perfruuntur ineffabili claritate. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ.

HI sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona: hæreditas sancta, nepotes eorum. Et in testamentis stetit semen eorum: & filii eorum propter eos in æternum manent. Generatio eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt: & nomina eorum vivent in sæcula. Sapientiam eorum narrent omnes populi: & laudem eorum pronuntiet omnis Ecclesia sanctorum.

Graduale. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. ℣. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluja, alleluja. ℣. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secuta est, inclyta tenens regna cœlestia. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis. Nihil autem opertum, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis, hunc timete. Nónne quinque passeres veneunt dipondiô: & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri, omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis: omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis DEI.

Credo.

Offertorium. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu Domine benedices justo, Domine, ùt scutô bonæ voluntatis tuæ, coronâsti nos.

Secreta.

HOstias tibi Domine, sanctorum Martyrum tuorum dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Communio. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, DEUS tentavit eos: tamquam aurum in fornace probavit eos, & quasi holocausta accepit eos.

Postcommunio.

SUmpsimus Domine, sanctorum Martyrum tuorum, Benedicti, Joannis, Matthæi, Isaaci, atque Christini solemnia celebrantes, Sacramenta cœlestia: præsta, quæsumus: ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum nostrum.

Dominica proxima post xiii. Novembris.
S. Stanislai Kostka Conf. **duplex. ùt in Additamento Missalis.**

Die xv. Novembris.

S. Gertrudis Virg. Abbatissæ. **duplex.**

Missa. in Missali suo ordine.

Die xvii. Novembris.

S. Salomeæ Virginis Reginæ Haliciæ. **duplex.**

Missa. Dilexisti. **De Commun. Virg.**

ORATIO.

DEUS, qui in B. Salomea terreni regni contemptum cum virginitatis candore in connubio sociâsti; concede nobis quæsumus; ut ejus exemplo tibi casto & humili corde servientes, immarcescibilem coronam gloriæ in cœlis consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

Die xix. Novembris.
S. Elisabeth Vid. dupl. suo ord. in Missali.

Die xv. Julii.

In festo Divisionis SS. Apostolorum. dupl.
In defectu propriæ, ponitur ex Diœces. Wratislav.

Introitus.

MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum. Psal. Domine probâsti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum prædicatione fundâsti: concede propitius; ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

FRatres, Jam non estis hospites, & advenæ: sed estis cives sanctorum & domestici DEI, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JEsu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum DEI, in Spiritu sancto.

Graduale. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluja. alleluja. ℣. Ego vos elegi de mundo, ut eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Convocatis JEsus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum DEI, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcúmque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicúmque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubique.

Credo.

Offertorium. In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Secreta.

GLoriam, Domine, sanctorum Apostolorum tuorum perpetuam in eorum divisione recensentes, quæsumus; ut eam, sacris mysteriis expiati, digniùs celebremus. Per Dominum.

Communio. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis suppliciter exoramus: ut intercedentibus beatis Apostolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus commemoratione, nobis proficiant ad medelam. Pe Dominum.

Die xviii. Augusti.

In festo B. Claræ de Monte Falcon. V.

ORATIO.

DEUS, qui beatam Virginem tuam Claram clarificans, in ipsius corpore Passionis tuæ, & Trinitatis Mysteria renovâsti: præsta quæsumus; ejus precibus & imitatione sic nos tuæ passionis amaritudinem recordari, ut Trinitatis beatitudine perfrui mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

F I N I S.